



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 55. Alexandria Episcopatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

Sæcul. XII.
A.C. 1175.

§. LV.

Alexandria Episcopatus.

*Ab Alex.
ad. Baron.
1174. &
1175.*

Mense Septembri anno millesimo centesimo septuagesimo quarto Fride-
ricus Imperator Longobardiam quinto
intravit, totamque hyemem in Alexan-
driæ novæ obsidione transegit, quam
tandem post quatuor mensium spatium in
Festo Resurrectionis dominicæ, decima
tertia die Aprilis, anno millesimo cen-
tesimo septuagesimo quinto, solvere
coactus, Ticinum se recepit, unde missis
ad Episcopos Portuensensem & Offien-
sem, ac ad Cardinalem S. Petri ad vin-
cula Nunciis, pacis conditiones Papæ
exponi iussit. Papa eosdem tres Cardi-
nales Ticinum misit, Imperator vero
Philippo, electo Archiepiscopo Colo-
niensi, Cancellario suo, & Protonotario
mandata dedit, quibus instructi cum Le-
gatis & Consulibus civitatum Longo-
bardia de pacis foederibus agerent. Sed
nihil

Abbas iste Malmesburiensis. Nam nec hodie
Exemptiones Pontificiæ in Congregationibus Or-
dinis Nostri usque adeo extenduntur, ut Ab-
bates electi ab alio quam ab Episcopo Diocesano
benedici possint. Quin licet Episcopi nec per
se, nec per Legatum Electioni intersint, deinde
tamen Abbates Electos benedicunt & confir-
mant.

nihil effectum, plurimique crediderunt, ^{Sæcul. XII.}
 solum ideo astutum Principem hanc viam ^{A. C. 1175.}
 tentasse, ut per inducias Longobardo-
 rum, quibus fors armorum favebat,
 successum in æstate suspenderet.

Inter hæc Papa, ut Alexandrinorum
 civium fidem, Sacræ Sedi præstitam, be-
 neficio remuneraretur, a S. Galdino Ar- ^{Ital. Sacerd.}
 chiepiscopo Mediolanensi, Episcopis il- ^{to. 4. p. 449.}
 lius provinciæ, & Longobardiæ Magi- ^{Act. ap. Bara}
 stratibus rogatus, novam urbem Episco- ^{1175.}
 patus honore donavit, primumque Epi-
 scopum dedit Harduinum Ecclesiæ Ro-
 manæ Subdiaconum, qui antequam sa-
 cro oleo ungeretur decessit e vita. Con-
 tra, ut a civitate Ticinensi pœnas expo-
 sceret, quod diu Octaviani Antipapæ
 & Friderici Imperatoris excommunicati
 partibus favisset, Papa illum Episcopum
 jure Crucis præferendæ & Pallii exuit.

§. LVI.

Ordo Militaris S. Jacobi.

Eodem anno Alexander Papa Institutum ^{to. 10. Conc.}
 novi Ordinis Militaris S. Jacobi in ^{p. 1378.}
 Hispania confirmavit. Constabat vero
 hic Ordo Clericis & Equitibus partim
 cœlibatum colentibus, partim in conju-
 gio viventibus, quorum uxores tanquam
 Ordinis sorores habebantur. Instituti
 ratio erat, Saracenos oppugnare, tum

F f f 5

ut